

- 1 In nova fert animus mutatas dicere formas
- 2 corpora; di, coeptis (nam vos mutastis et illas)
- 3 adspirate meis primaque ab origine mundi
- 4 ad mea perpetuum deducite tempora carmen!
- 5 Ante mare et terras et quod tegit omnia caelum
- 6 unus erat toto naturae vultus in orbe,
- 7 quem dixere chaos: rudis indigestaque moles
- 8 nec quicquam nisi pondus iners congestaque eodem
- 9 non bene iunctarum discordia semina rerum.
- 10 Nullus adhuc mundo praebebat lumina Titan,
- 11 nec nova crescendo reparabat cornua Phoebæ,
- 12 nec circumfuso pendebat in aere tellus
- 13 ponderibus librata suis, nec brachia longo
- 14 margine terrarum porrexerat Amphitrite;

- 15 utque erat et tellus illic et pontus et aer,
- 16 sic erat instabilis tellus, innabilis unda,
- 17 lucis egens aer; nulli sua forma manebat,
- 18 obstabatque aliis aliud, quia corpore in uno
- 19 frigida pugnabant calidis, umentia siccis
- 20 mollia cum duris, sine pondere, habentia pondus.
- 21 Hanc deus et melior litem natura diremit.